



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

CCXI. Markgraf Otto vereignet dem heil. Geist - Kloster vor Salzwedel
Hebungen aus Stappenbeck und Riebau, am 23. März 1369.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

CCXI. Markgraf Otto verzeiget dem heil. Geist-Kloster vor Salzwedel Gebungen aus Stappenbeck und Niebau, am 23. März 1369.

Nouerint uniuersi tenorem presentium inspecturi, Quod nos Otto, dei gratia Brandenburgensis Marchio — ad instantiam et deuotam requisitionem strenuorum Wernheri et Henrici, fratrum de Schulenborch, nostrorum fidelium dilectorum, matura deliberatione prehabita, appropriauimus et solempniter per presentes appropriamus honorabilibus et religiosis uiris preposito totique capitulo Canonicorum regularium monasterii S. Spiritus extra muros civitatis nostre Soltwedele, Verdenensis diocesis, tres choros filiginis reddituum annuorum videlicet in villa Stappenbeke de mansis et curia, quos nunc colit et inhabitat Heyne Schernekoue, I chorum filiginis, de mansis et curia Heyne Thurize dimidium chorum filiginis et de mansis et curia Theodorici Schernekoue dimidium chorum filiginis, in villa Ryboue de mansis et curia Kleynemanns dimidium chorum filiginis et ibidem de mansis et curia Bockholtes dimidium chorum filiginis annis singulis deriuari et solui debitos et consuetos, cum omnibus iuribus, commodis, honoribus et pertinentiis uniuersis, quibus dicti Wernherus et Henricus a nobis in pheidum tenuerunt et hactenus possederunt, supremo iudicio duntaxat excepto, exnunc in antea perpetuis temporibus ad usum et utilitatem prepositi capituli et monasterii predictorum iusto proprietatis titulo pacifice et quiete absque impedimento quorumlibet pertinendos. Renunciantes pro nobis, heredibus et successoribus nostris omni iuri, actioni seu impetitioni, quod vel que nobis in predictis bonis competit aut competere poterit quomodolibet in futurum. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Presentibus reuerendo in Christo patre domino Theoderico Brandenb. ecclesie episcopo, nobili Alberto Comite de Lindou, Venerando Hermanno de Werberg, generali Magistro ordinis S. Johannis, ac strenuis Lippoldo de Bredou, Marscalco nostro milite, Nicolao de Bismarck, curie nostre magistro, Günzelino de Bartensleue, Gebhardo de Aluensleuen seniori, honorabili Rudolfo preposito Stendaliensi, prothonotario nostro dilecto, cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Havelberg, anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono, feria secunda proxima post dominicam palmarum.

Gersden's Diplom. I, 350—352. — Fehlerhaft Cod. V, 344 abgedruckt.

CCXII. Elisabeth, Gottfrieds von der Biese Wittwe, vergleicht sich vor dem Rathe zu Salzwedel wegen gewisser Schuldforderungen, am 5. Oktober 1369.

Nos vricze de krychendorp, henninghus bysendal, hermanus Bekendorp, Ermbertus, Coppekinus bunowe, Conradus de bysa, Johannes buman, Thydericus bolck, Collyn et Thidericus de ietze, Consules noue ciuitatis Soltwedel, recognoscimus et tenore presentium publice protestamur, Quod honesta domina elizabet, relicta gotfridi de bysa pie memorie, et thidericus pistor in nostra presencia constituti taliter placitarunt, quod ipse thydericus dictus pistor decem marcas brandenburgensis argenti, quas ipse dicte domine elizabeth de iustis debitis et solutione sue domus pro nunc soluere debuit, eas autem non soluendo, arbitratus est autem dictam